

durus, ut fibræ sese expedite nequeant contrahere, si præpostero situ detortus, aut os ejus angustum vel callosum, si ossa ili-
um adeò sint conferta, ut in partu distrahi nequeant, quemad-
modum in vetulis accidere solet, &c. Ex parte fœtus verò na-
scitur difficultas partus, si ipse præ teneritate, inediâ aut quavis
imbecillitate ad exitum se disponere & facultati uteri succur-
rere nequeat, si grandior sit, quàm pro capacitate viarum, si
plures simul onerent uterum, ~~im~~ præpostere situs sit, aut præpo-
stero ordine ad exitum se disponat, vel anum vel ventrem, vel
pedum brachiorumvé alterutrum ad egressum obvertendo &c.
Dubitatur hinc inter Medicos, si difficultati huic per conveni-
entem victus rationem & medicamentorum tam externorum,
quàm internorum applicationem, nihil adferamus remedij,
Utrum ad tertium præsidium Chirurgicum sit confugiendum,
& quando desperata sunt omnia, uterus Cæsareâ sectione ape-
riendus, quod & nos improbare non possumus, cum vulnera
uteri non sint absolutè mortifera, & hæc sectio non rarò
cum matris, aliquando etiam fœtus salute admini-

strata legatur. Modum sectionis tradit

Paulus lib. 6. c. 74. Aëtius lib.

16. cap. 23.

F I N I S.

